AD

PUBLICAM EXPLORATIONEM PROGRESSUUM

QUOS

GYMNASII GOTTINGENSIS

CLASSIUM QUATUOR PRIORUM DISCIPULI

IN HUMANITATIS STUDIIS FECERUNT

DIEBUS XVI. ET XVII. M. APRILIS MDCCCXXXII

IN AUDITORIO GYMNASII MAXIMO INSTITUENDAM

ET

AD DECLAMATIONES SCHOLASTICAS

DIE XVIII. M. APRILIS AB HOR. MATUT. IX. AUDIENDAS

GYMNASII EPHOROS PATRONOS FAUTORES
DISCIPULORUMQUE PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

AUGUSTUS GROTEFEND

GYMNASII RECTOR.

Insunt:

1. Augusti Geffers, Doctoris philos. et Gymnasii Conrectoris, de ἄν particula dissertatio.
2. Scholarum et disciplinae instituta et annales gymnasii inde a festo Paschali anni MDCCCXXXI incipientes.

GOTTINGAE MDCCCXXXII.

TYPIS EXCUDIT FRIDERICUS ERNESTUS HUTH.

~~1831~~ 1832

COMMENTATIO

DE ἄν PARTICULA.

Libelli ad celebranda solennia scholastica scripti, quemadmodum id habere solent utilitatis, ut singulos Latinarum et Graecarum litterarum locos aliarumque disciplinarum partes illustrent, sic ad ipsius quoque studiosae juventutis ingenium accommodandi esse videntur. Propterea hac scribendi opportunitate non temere utatur, si quis rem sumserit sibi tractandam, quae aut in scholis ipsis explicatius tradi non possit, aut certo quodam necessitudinis vinculo conjuncta putetur cum iis studiis, in quibus juvenes habitant. Quae quamvis latissime pateant, tamen quaestiones grammaticae ad hunc locum inprimis referendas esse, omnes aequi hujus rei aestimatores facile concedent. Etenim explicata tota et Latinae et Graecae grammaticae copia, tamen singula restant permulta, de quibus separatim accuratius disputari possit. Quod quidem eo magis faciendum esse videtur, quo plura in nonnullis iisque pervulgatis libris reperiuntur, aut accuratius definienda, aut dilucidius explicanda. Hoc vero non ita dicitur, ut laudibus eorum, qui multum diligentiae in spinosis hisce quaestionibus posuerunt, obtrectetur, sed ut hodie quoque justam harum rerum conditionem non esse, intelligatur. Causa hujus rei magna ex parte quaerenda esse videtur in ratione, qua de grammaticis disputari solet. Singuli enim loci inter se comparati ad regulas revocantur. Certam quidem esse hanc viam, nemo negabit; sed ut primum est ingredienda, ita, si quid absolutius invenire cupimus, non una persequenda. Qua etsi in

universum efficitur, quae sint singulae regulae, tamen quid recte et apte dicatur, non satis potest judicari. Ita enim existimandum est: cum certa aliqua verborum conformatio in multis locis reperiatur, omnibus eam ad litteram fuisse adhibendam. Quare cum exemplis colligendis et comparandis intellectum est, quae sit loquendi censuetudo, tum id quoque quaerendum videtur, cur ea potissimum usi sint Graeci vel Romani. Hac ratione efficiemus, ut singulis clarius animo perceptis, peculiare illorum populorum ingenium cognoscamus, et quae sit earum linguarum natura intelligamus. Cum vero claram hujus et distinctam speciem animo informaverimus, tum, si modo id meminerimus, melius quid inesse in libris veterum, quam nugas, de quibus sit digladiandum, facilius poterit existimari, quid quoque loco recte dicatur. Apparebit enim multas verborum structuras, similes illas quidem, interdum ita immutari, ut sententia paullo diversa exsistat, atque illas regularum exceptiones, quae vocantur, nullas esse, cum aut ipsae sint regulae, aut rhetoricis nitantur rationibus, neque omnino pertineant ad grammaticam. Sed haec dixisse sufficiat, de ratione, qua ea grammaticae pars, quae syntaxin complectitur, tractanda esse videtur.

Atque nos quidem Graecae grammaticae locum, eumque, ut putatur, difficillimum de quo explicaremus, elegimus. Miretur fortasse quispiam de ea re institui disputationem, quae a doctissimis viris tam copiose sit tractata, ut denuo eam in medium proferre taedeat. Ita si quis existimat, idoneam rationem sequi videtur, sed vereor ut recte sentiat. Tantum enim abest, ut tota hujus particulae ἄν potestas satis accurate constituta sit, ut in aliis locis aliam significationem, in aliis nullam habere dicatur. Haec vero opinio cum per se reprobanda sit, tum rationibus satis idoneis refelli posse videtur. Ceterum non id habemus propositum, ut multis locis congerendis hujus voculae vim illustremus, sed et quae sit *una* ejus potestas, et *qua maxime ratione* nitatur usus, accuratius explicemus. Ea attulisse sufficiet exempla, quibus quae nostra sit sententia, probari possit. Sed maximae esset negligentiae, si eorum quae summi viri de eadem hac re disputaverunt, rationem non haberemus. Quare ea quidem, quae Hermannus et Reisigius de origine et significatione hujus particulae in universum praeceperunt, diligentius examinanda esse existimavimus; in quibus si longa esse videatur disputatio nostra, ita excusamus, ut haec omnium gravissima esse dicamus. Quae illorum virorum de singulis locis sit sententia cognoscere neque licet per angustos, quibus hic libellus continetur, fines, et minus opus esse videtur.

Hermanni de origine particularum ἄν et κὲν sententia [1]).

Primum quidem Herm. disputandum esse putavit de origine harum particularum, quippe ex qua optime intelligi possit, quae earum sit vis. Quod cum ita placuerit summo viro, nos quoque quid de ea re statuerit, ante omnia videamus. Jam vero ille dicit *κέν* ortum esse ex *καί*, quod vult habere [2]) „vim quandam dilatandi, ut de quo dicatur, id de pluribus unum intelligi indicet"; addit etiam, eo illud, de quo dicatur, quodammodo fieri incertum, ut quod non necessitate quadam, sed magis pro exemplo, qualia plura sint, commemoretur. Haec vereor, ne acutius quam verius dicta sint. Ut enim *κέν* ex *καί* formari posse concedamus, id quod nullo modo concedimus, utriusque vocis tam diversa est potestas, ut alterius significatio cum altera ne ingeniosissimis quidem ratiocinandi artificiis conciliari possit. Etenim conjunctio *καί* simpliciter connectit ea omnia, quae simile quid habent, ita ut sana ratione jungi et juxta poni possint; num ea sint, de quibus aliquid praedicetur, aut quae praedicentur, aut denique quae praedicent, nihil refert. Sed hanc Herm. intelligere videtur dilatandi vim, ut, si dicatur: *Πλάτων καὶ Ἀριστοτέλης δεινοὶ ἦσαν τὸ φιλοσοφεῖν*, brevior haec sit dicendi ratio prae altera ista: *Πλάτων ἦν δεινὸς τὸ φιλοσοφεῖν, καὶ Ἀριστοτέλης δεινὸς ἦν τὸ φιλοσοφεῖν.* Atque hoc recte dicit, sed quomodo alterum istud, quod conjunctione *καί* additur, incertum fiat, equidem non intelligo. Num necesse sit addi hoc, in universum constitui non potest, sed pendet e judicio ejus, qui loquitur. Hoc vero certissimum est, illud, si *καί* positum sit, necessario esse addendum. Sed videamus exempla, quibus Herm. eandem vocabulorum *καί* et *κέν* vim esse probare studet. Ea autem sunt haec: *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται* et *ὅς καί θεοῖς ἐπιπείθηται*, deinde: *εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν* et *εἰ καὶ θάνατόν γε φύγοιμεν.* In his quomodo *καί* et *κέν* eadem sint, equidem ne conjectura quidem assequor. Etenim *ὅς καὶ ἐπιπείθηται* est concedentis aliquid fieri, et vel sic inde alterum, quod expectare possis, sequi negantis; contra *ὅς κε* est sumentis vel ponentis aliquid fieri et ex eo alterum sequi contendentis. Itaque si perfectas enuntiationes statuere vellemus, hae essent, primum *ὅς καὶ θεοῖς ἐπιπείθηται, ὅμως ἀτυχήσει* et *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, εὐτυχήσει.* Apparet haec

---

1) De particula ἄν libri quatuor. Classical Journal. vol. 34. 35. 36.; iterum editi 1831. —
2) Class. Journ. vol. 34. p. 165 sq.

esse diversissima, imo contraria. Idem hoc dicendum est de *εἴ κε* et *εἰ καί*. Ut igitur forma, id quod non opus esse videtur probari, ita ipsa significatio obstat, quo minus easdem has voces habeamus.

Sed videamus unde *ἄν* particulam ortam esse arbitretur Herm. Hanc vult [3]) natam esse ex adverbiali praepositionis *ἀνά* potestate, ea quidem, quae Latinorum vocabulo *secundum* respondeat. Forma particulae non obstat, sed ne ita quidem probari potest haec explicandi ratio. Primum enim praepositioni *ἀνά* illa vis omnino non subjicitur, sed cum quarto casu juncta, ut ipse Hermannus [4]) rectissime explicat, indicat motum, qui coepto semel tenore protenditur, vel qui a certo aliquo loco profectus per totam ejus perpetuitatem centinuatur. Itaque *ἀνὰ στρατόν* significat: recta via per castra, *ἀνὰ* (*πᾶσαν*) *ἡμέραν* per continuum diem (quotidie) *ἀνὰ θυμόν* per totum animum h. e. intimo animo, *ἀνὰ κράτος* per totam vim h. e. quantum vis valeat; tum adjicitur ad nomina numeralia (*ἀνὰ εἴκοσι* per viginti h. e. viceni) ut distributiones certa numerorum proportione factae indicentur. Apparet in his omnibus observari primariam praepositionis potestatem, a significatione latinae vocis alienam. Deinde vero quamvis concedamus reperiri locos, in quibus praepositio *ἀνὰ* respondeat ei latinae praepositionis significationi, quae hic requiritur, tamen cum haec non sit primaria vis, adverbialis ejus potestas non eadem esset. Praepositiones [5]) enim, ut ex Homericis carminibus jam intelligi potest, prius adverbia fuerunt; quare, si eorum significationem tenere volumus, primum quaerendum est, qui fuerit eorum ipsorum adverbiorum usus. Jam vero ut hae voculae casibus, qui dicuntur, addi non possunt, nisi cum notione, quam hi habent, censentiant, ita fieri potest, ut a primaria sua vi paullo recedere *videantur*. Tum vero, quid indicent, e tota orationis forma intelligitur, sed ubi adverbiorum vice funguntur et per se intelligendae sunt, recondita ejusmodi significatio subjici non potest. Sed etiamsi concedi posset, eam in voce *ἀνά* inesse vim, quam vult Herm. tamen ne ita quidem elici potest id, quod in particula *ἄν* deprehenditur. Quae cum, ut ipse ille V. D. dicit, referatur ad conditionem aliquam, longe alia est ejus ratio, quam illius vocabuli „secundum.“ Nam si dico: *ἐβουλόμην ἄν εἰ ἐδυνάμην* hoc est: vellem, si possem, sed non possum, propterea nolo. Sed si

---

3) C. J. vol. 34. p. 166.

4) Archiv für Philolog. und Pädag. von Jahn und Seebode I. B. I. Heft. p. 131.

5) Aliter Herm. l. l. explicat, sed ita ut nemini facile persuadeat.

cum Herm. ad hanc dicendi rationem explicandam dicerem: *ἐβουλόμην ἀνὰ τοῦτο εἰ ἐδυνάμην*, sensus, si qui omnino elici posset, hic esset: vellem secundum hoc (agere) si possem, h. e. ut huic rei convenit, ut ea postulat. Hoc autem modo conditio, vocibus *εἰ ἐδυνάμην* expressa, non referenda esset ad verbum *ἐβουλόμην*, sed ad vocabula *ἀνὰ τοῦτο*, rationem quam quis sequi velit, indicantia. Hanc igitur rationem qui constanter sequetur, particula *ἄν* non conditionem, sed quandam rerum convenientiam declarari debebit concedere. Quae quam diversa sint, apparet; nam quod rei convenit, propterea non est conditio, qua illa contineatur.

Jam vero origo harum particularum, ut, me quidem judice, idonea ratione explicari non potest, ita ad significationem accuratius perspiciendam nihil confert. Quae qualis sit multis locis comparandis diligenterque pervestigandis intelligitur.

Hermanni de significatu particularum ἄν et κεν sententia [6].

Nonnulla, quibus viam ad explicandas has particulas muniret, praemisit vir doctiss., quae ad nostram rem multum refert, num vera sint. Sunt autem haec: „nihil in linguarum ratione difficilius est, quam particularum vim ac potestatem perspicere distincteque declarare. Quae cum plerumque sensu quodam percipiatur ex obscuris et latentibus notionibus prodeunte, difficillime revocari ad claras distinctasque notiones potest, revocataque saepe evanescit magis, quam comprehenditur ac retinetur, ut quae hoc ipsum sentiri potius quam intelligi velit. Accedit, quod plerumque particularum tam varia est ratio tamque multiplex usus, ut, quamvis diligenter explices, tamen aegre invenias, quod ubique aptum sit atque accommodatum.“ Vellem equidem, cum particularum notio latius pateat, diserte dixisset V. D. quod earum genus intelligat. Ipsam *ἄν* particulam conjunctionem putat; deinde comparat eam cum *πού*, *ἴσως* adverbiis, et *τέ* conjunctione. Videtur igitur illo vocabulo et conjunctiones et adverbia notasse. Quod quamquam parum aptum est, tamen teneamus. Atque quod primo loco dicit, difficillimum esse, naturam particularum perspicere, quisque facile concedet, non item reliqua, quibus cur difficile hoc sit, probare studet. Etenim nullo modo istae particulae hunc habent usum, ut obscura animi sensa declarent. Sunt enim ejusmodi, quae

6) C. J. vol. 34. p. 167.

non speciem certae alicujus *rei* animum moventis repraesentent, sed rationem tantum, qua quid animum moveat, significent. Sed hoc maxime interest inter adverbia et conjunctiones, quod illa unum aliquod verbum accuratius definiunt, hae singulas sententias justo ordine inter se connectunt. Ad formam igitur orationis utraque pertinent. Sed ut singula verba certas rerum notiones habentia, idonea imagine distinguantur et singula orationis membra apto ordine jungantur ratione fit, non sensu. Jam vero illa particularum explicandarum difficultas non in eo est posita, quod earum vis sensu percipitur, sed quod propter magnam ingenii et morum in singulis et hominibus et populis diversitatem aegre inveniri potest via, qua inita scriptor alia ex aliis nexerit, et cur ea potissimum, quam reperimus, usus sit jungendi forma. Proprium autem populorum ingenium et cogitandi ratio in hac re maxime conspicitur. Sed particulas nihil omnino pertinere ad obscurum istum sensum alia quoque ratione probari potest. Quo enim praestantius in populo aliquo est ingenium, et quo accuratior ad eximiam naturam doctrinae conformatio accesserit, eo magis ea, qua utitur lingua, utpote cultior, his ipsis particulis abundabit. Quae abundantia cum efficiat, ut mira quaedam varietas in ordine sententiarum conspiciatur, tamen nunquam orationis perspicuitatem pervertit, imo eximiam istam concinnitatem addit, in qua nihil obscurum esse potest. Hoc exemplo Graecorum facile probari potest, qui ut summa animi facilitate et ingenii acumine eminebant, ita sermone accuratissime et elegantissime juncto omnia efferebant; quae qui satis assequi vult, illis animi virtutibus non plane destitutus esse debet.

Sed ut propius ad rem nostram accedamus, Herm. particulas *ἄν* et *κέν* comparat cum *ἴσως*, *πού* et *τέ*, ut quae significatione similes hoc habeant commune, quod sententiam quodammodo debilitent, eique aliquid ambiguitatis addant [7]). Quae quamquam ita disputata sunt, ut Hermanni ingenium elucescat, tamen discrimen harum particularum subtilius, quam verius constitutum esse videtur. Etenim si *ἴσως* et *πού* ut vult Herm., ad loquentis tantum cogi-

7) l. l. p. 168. Addit quoque haec: cujus ambiguitatis primo gradus diversi sunt; alia enim possibilia, alia fortuita, alia veri similia, alia probabilia esse dicimus. Ac possibilibus indicandis inservit *ἴσως*, *forsitan*, *vielleicht*, quod est conjicientis sed non scientis. Veri similibus significandis adhibetur *πού* fortasse *wohl*, quod est opinantis, sed non affirmantis. Fortuita notantur particulis *ἄν* et *κεν* forte *etwa*; hoc est sumentis sed non contendentis. Probabilia denique exprimuntur per *τέ*, *fere*, *ja*. quod est colligentis.« Vult autem Hermannus possibilia et veri similia referri ad *cogitationem* tantum, fortuita et probabilia ad *rei*, de qua sermo sit, aliquam conditionem.

tationem referenda sunt, mirum est, quod non cum optativo potissimum, qui et ipse loquentis cogitata habet, conjuncta reperiuntur; contra si ἄν et τέ fortuitis et probabilibus, „in quibus ipsis sit aliquid, quare sint aut fiant“ indicandis inserviunt, vix intelligitur, quomodo etiam cum optativo et non cum conjunctivo solum construantur. Cum enim Graeci revera habeant eas verbi rationes, quarum una ad aliquam rei conditionem, altera ad cogitationem loquentis referenda est, consentaneum videtur, eas adjici particulas, quae illis respondeant.

Sed ne verba tantum dare videamur, accuratius dicendum est, quid intersit inter particulas ab Hermanno comparatas. Ac primum quidem ἴσως semper tenet primam et propriam significationem *„pari, simili modo, eo qui rei alicui consentaneus est, modo“*, ut: ἴσως ἐποίησεν τοῦτο ὁ φίλος hoc est: si amicus eam, quam sequi solet, rationem et nunc secutus est, hoc fecit, prorsus enim convenit solitae ejus agendi rationi. Non est quidem, quod notissima haec res exemplis probetur, sed conferamus locum Platonis [8]: λέγειν δή, ἔφην ἐγώ, χρὴ ἀνάπαλιν αὖ νῦν ἃ ποτε ἴσως ἔδει ἐφεξῆς λέγειν· τάχα δὲ οὕτως ἂν ὀρθῶς ἔχοι. Apparet hunc esse sensum: jam dicenda sunt, quae si eo quo consentaneum erat modo, dicerentur, prius idque deinceps dicta esse expectaveris. Non est igitur ἴσως conjicientis, sed praedicantis ita quidem, ut verba ejus verisimili ratione nitantur. Sed quid statuendum est de vocula πού? Habet ea hanc vim, ut primum reddat Latinorum *alicubi*, deinde transferatur ad indicandam *rationem*, quam quis revera nescit, aut scire se dissimulat, in quo et ironia est posita, ut in istis Hectoris verbis:

Πάτροκλ' ἦ που ἔφησθα πόλιν κεραϊξέμεν ἀμήν [9])

Comparari possit πού cum πώς [1]) Intelligitur particula πού uti eum, qui, cum aliquid praedicat, in universum se idoneam rationem sequi indicet, sed hanc ipsam aut non posse aut non velle accuratius definire significet.

Sequitur τέ. Quae vocula, quamquam Herm. significationem tantum, non constructionem comparat, quomodo ad similitudinem aliquam istorum adverbiorum accedat, vix intelligitur. Pertinet enim ea ad id particularum genus, quod conjunctiones, quae vocantur, complectitur. Sed parum sibi

---

8) Republ. V. p. 415. Herm. Viger. p. 447. Intelligitur ex his, ut hoc obiter adjiciam, quid discriminis intersit inter ἴσως et τάχα; illud spectat ad verisimilem rationem, qua quid fieri dicimus, hoc ad tempus, quo quid facile fieri possit. Illa enim τάχα δὲ οὕτως ὀρθῶς ἔχει hoc volunt: si addita ista erunt, statim apparebit, haec recte dicta esse. Non igitur permutantur ἴσως et τάχα ut ad Vig. l. l. dictum est.

9) Il. XVI. 830. cf. 834.

1) Xenoph. Anab. II, 6, 3.

constat ipsius Hermanni de hac vocula sententia. Primum [2]) enim dicit eam respondere nostro *etwa*, et Latinorum *que*, et reddere rem aliquam incertam; deinde [3]) vult eam exprimi nostro *ja*, Latinorum *fere* vel nimirum, et significare *probabilia* „quae mirum foret, si non essent, quia rationem, quare debeant esse, idoneam habeant.“ Sed ut mittamus, haec esse diversissima, neutrum recte dictum esse videtur. Habet enim conjunctio τέ, id quod Herm. quoque dicit [4]), vim quandam copulandi, sed eam, quam nos non ubique exprimere possimus. Verum est, aliam ejus esse conjungendi potestatem, quam conjunctionis καί, qua quae connectuntur prorsus similia et paria *simpliciter* praedicantur.

Sed vel sic conjungit idque ita, ut eorum quae conjungit, *e loquentis sententia* communem quandam rationem esse significet. Nam quae nos *externa magis verborum forma* connectimus, ita ut singula pro se quidque ignava et inertia quasi jaceant, ea apud Graecos, apta *sententiae* ratione inter se juncta, interiori motu cientur et agitantur. Qui ut ipsi mira ingenii mobilitate vigebant, ita continuata quadam motione orationem impellebant vegetumque istum colorem addebant. Sed quo jam clarius intelligatur, quomodo haec dicta sint, versibus Homeri, in cujus carminibus maxime conspicitur ista orationis mobilitas, illustremus

μοῦνος δ᾽ εἴπερ τε νοήσῃ
ἀλλά τε οἱ βράσσων τε νόος λεπτὴ δέ τε μῆτις [5])

Legimus hic primum τέ conjunctum cum aliis conjunctionibus, quod, si nostram loquendi consuetudinem sequimur, offendere possit. Sed τέ — τέ indicat duo haec orationis membra ita esse juncta, ut si prius illud incidat, alterum inde sequatur. In universum quidem omissa quoque particula τέ, eadem exsisteret sententia; sed cum sit addita causae et effectus, quae dicuntur, necessitudinem loquenti ante oculos obversatam esse intelligimus. Sequuntur deinde βράσσων τε — λεπτή τε; in his quoque τέ — τέ indicat loquentis opinione *simul* futurum esse, ut animus sit tardior, et quod inde sequatur, tenue consilium. Sed cum βράσσων et λεπτή non sint similia, hoc illi etiam opponitur vocula δέ. Comparemus etiam eum versum, quem Herm. protulit ad discrimen istarum particularum explicandum.

σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν [6])

2) ad Viger. p. 835.
3) Class. Journ. vol. 34. p. 168.
4) ad Viger. p. 835.
5) Il. X, 226.
6) Il. ll.

Hoc dictum vult vir doctiss. in hanc sententiam: alter nimirum plus videt. Sed etsi sensus in universum redditus est, tamen parum recte factum est. Vocula enim *τέ* nullo modo verti potest *nimirum*. Ita explicandus est versus: Duo, quae habemus orationis membra (quod in primo est particip. nihil refert ad nostram rem) *simpliciter* copulantur per *καί*; jam vero utrique verbo additum est *τέ*, ut *τὸ συνέρχεσθαι* et *τὸ τὸν ἕτερον νοεῖν* conjuncta *cogitari* significet. Tantum igitur abest, ut redundet *τέ*, ut moneat, ne, dum pergas ad sequentia, antecedentia, quippe quae ad illa sint referenda, animo dimittas. Qui est fons movendae orationis, cum singulae ejus partes constanter animo teneri debeant, nec ulla unquam quiescere quasi possit. Apparet vero, ut adjiciam hoc, in secundo hujus versus loco poni non posse *ἴσως* vel *πού*. Illud enim significaret: ut alter plus videat, *verisimile* esse, propterea fortasse, quod ingenii sagacitate praestet; hoc vero indicaret, alterum *revera* plus videre, sed non constare, qua fiat ratione. Minime autem hic locum habebat *ἐνόησεν κέν* vel *ἄν*. Indicaret hoc, alterum plus videre conditione aliqua; vel, si Graeca haec esse volumus, sententia haec esset: vidisset — si attendisset; quae quidem ab hoc loco est alienissima.

Sed ne quid temere contendere videamur, quid Hermannus de ipsius *ἄν* particulae significatione censeat, quaeramus. Primum dicit [7]) ille eam „conditione addenda id, quod aliter certum definitumque esset, incertum et infinitum reddere.“ Deinde [8]) addit: Fortuita notantur particulis *ἄν* et *κέν*, quae Latine plerumque non possunt exprimi, sed quae Latina particula ad propriam earum vim quodammodo accedit, est ea *forte:* Germani aptiorem habemus particulam *etwa*, sed non tamen ubique satis accommodatam. Est autem *ἄν* sumentis non contendentis.“ Intelligitur ex his, Hermannum conditionem istis particulis expressam referre tantum posse ad *rem*, quae si *fiat*, aliud efficiat, vel, quae ut causa habeat effectum; ad omnes igitur conditiones cogitatas animoque fictas nihil hae particulae pertinerent. Quas quidem fieri potuerat, ut Graeci, quemadmodum nonnullas alias, ad *rem* tantum referrent; sed hanc earum vim non esse, facile probari potest. Quomodo enim possent conjungi cum optativo, qui, ut ipse Herm. [9]) dicit, solam rei cogitationem significat? Jam vero, si quis reputaverit, maxime huic verbi modo adjungi *ἄν*, parum rectam esse Hermannianam hujus voculae explicationem, ex una hac re intelligat. Hoc enim nullo modo concedi potest, ad-

---

7) l. l. p. 166. 8) p. 168. 9) Classic. Journ. vol. 36. p. 36.

denda hac particula optativum ita immutari, ut ad conjunctivi potestatem accedat. Apparet autem, cur ille dicat, addenda particula *ἄν* incertum et infinitum reddi, quod aliter sit certum et definitum. Cum enim quaeratur, num ea res, quae alius possit esse causa, revera futura sit, nunquam quidem, quae hac ratione junguntur, certa sunt. Sed haec ipsarum rerum conjunctio nihil pertinet ad orationem. Ceterum *ἄν* per se non est sumentis, sed praedicantis. Quod cum ita statuamus, non negamus quidem, omnia haec adverbia *ἴσως*, *πού*, *ἄν* (*τί* conjunctio omnino huc non pertinet) transferri posse ad id genus dicendi, quo quis conjicit, opinatur, sumit; sed ratio conjiciendi, opinandi, sumendi non est posita in his vocibus, verum in modo verbi, vel potius totius orationis conformatione.

Quod si igitur quaeramus, quid Hermannus disputatione de istis particulis instituta effecerit, non magni id esse, apparebit. Primum enim si constaret subtile hoc discrimen, quod *ἴσως* pertineat ad possibilia, *πού* ad verisimilia, *ἄν* ad fortuita, *τί* ad probabilia, etiam hoc mirum est, quod saepisse junguntur *ἴσως* et *ἄν* ut cetera taceam; illud enim ex Hermanni sententia refertur ad loquentis cogitationem, hoc ad ea, „in quibus ipsis est aliquid, cur sint.“ Contraria igitur sunt; quae quomodo jungi possint, equidem non assequor. Deinde, quod vir doctiss. his particulis sententiae aliquid ambiguitatis addi dicit, omnium est falsissimum. Quaeramus enim, quid sit ambiguum istud et dubium. Referri hoc posset ad ipsam *rem*, oratione expressam; tum indicaret, non constare, num ea sit, annon sit, et ita tantum de ea aliquid posse praedicari, si sit. Sed quae *exsistat* rerum ipsarum conjunctio et necessitudo, nihil refert ad orationem, qua, quid rationis judicio esse videatur, explicatur. Est autem hoc rationis judicium ejusmodi, ut alia *revera esse*, alia e conditione pendere *num fiant*, alia denique *cogitari tantum animoque fingi*, dicamus. Hoc potissimum est, quod Herm. non satis distinxit. Porro oratio ipsa si dubia et ambigua dicitur, ea est obscura et ejusmodi, ut in diversas partes intelligi possit. Apparet, credo, hanc ambiguitatem non addi iis quae ceteroquin distincte dicta sunt. Sed ut ratione evinci potest istam orationis ambiguitatem nullam esse, ita his particulis revera non additur. Sunt enim eae adverbia, quae hunc habent usum, ut, qua maxime ratione singula verba aut tota sententia intelligenda sit, accuratius et definitius declarent. Jam vero, etiamsi Hermanno concederemus, *ἴσως* esse conjicientis, *πού* opinantis, *ἄν* sumentis, tantum tamen abest, ut aliquid ambiguitatis addant, ut ratione, cur quis conjiciat cett., afferenda orationem explicatius definiant et sententiam

loquentis ad intelligendum planiorem efficiant. Sed, id quod in tota hac re est gravissimum, vis particulae ἂν illa ipsa comparatione nullo modo est illustrata. In universum quidem comparari potest cum omnibus adverbiis modum indicantibus, quum et ipsa, quae sit mens loquentis et qua ratione intelligenda, significet, sed tamen magnopere differt ab illis et ad significationem et structuram. Haec enim ita sunt maximam partem comparata, ut certum quendam sensum sejunctim quoque posita praebeant, et ad singula verba et ad totam sententiam accuratius explicandam addantur; sed ἂν prorsus intelligi non potest, nisi additum sit certo *verbi* modo, atque hujus unius verbi notio qualis sit, declarat. In certis quibusdam loquendi formulis factum est multo usu, ut verbum omitteretur, sed ita, ut facillime intelligi possit. Sed haec hactenus.

Reisigii de particula ἂν sententia [1]).

Jam vero videamus, quam Reisigius de vi particulae ἂν sententiam proposuerit. Ea est haec: „ἂν particula aliquid fieri per caussarum quandam cohaerentiam posse, indicat. Ergo notio ejus optativo addita, rem quamque, quae fieri posse simpliciter per optativum dicitur, confirmat; contra eadem indicativo participioque et infinitivo eorum temporum adjuncta, quibus non, posse fieri aliquid, sed ipsa veritas rei (existentiam vocant philosophi) exprimitur, reddit dubiam magis sententiam, quia non esse rem quamquam, sed posse fieri tantummodo declarat.“ In his sunt, quae displiceant, plura. Primum enim arctioribus, quam par erat, finibus notio particulae circumscripta est. Nam ut e tota disputatione intelligitur, cohaerentiam caussarum eam significat [2]) vir ingeniosissimus rerum necessitudinem, qua una res alteram efficiat, neque vero rationem, qua loquentis sententia nitatur. Itaque hactenus eadem est haec voculae explicatio, quae Hermanni, ita tamen, ut Reisigius causam dicat, quam Hermannus conditionem appellavit. Quod ut ratione explicandi diversum est, ita res cum re non differt. Sed quam recte haec disputaverit Reisigius, ex iis, quae supra ad Hermanni sententiam refutandam diximus, intelligitur. Tum vero, si ἂν particula non ad caussam modo, sed ad rationem quoque referenda est, etiam ea, quae de diversa ejus

---

1) Commentatio de vi et usu ἂν particulae edit. Nubb. adjuncta. p. 99.
2) Reisig. commentat. p. 118.

vi statuit vir doctissimus, corruunt. Nam cum optativus inserviat indicandis iis, quae homines pro arbitrio fingunt, non quaerentes, num ea in rerum natura esse possint, nec ne, particula ἄν addita significat rationem, cur ea fingant, vel potius conditionem, qua fingant. Itaque revera sententiam optativo expressam *certiorem* quidem reddit ἄν, sed longe alia, quam vult Reisigius, ratione; quae, quomodo maxime sit intelligenda loquentis opinione, accuratius definit, neque vero id, quod ita dictum sit, *revera fieri* indicat. Nam, ut supra jam diximus, nullius modi notio ipsa addendis particulis mutari potest. Propterea et id, quod ceteris verbi formis exprimitur, dubium reddere non potest haec vocula. Sed video, hanc non esse Reisigii sententiam, ut notionem verbi hac particula mutari existimet, sed dubium istud in hac ipsa vocula esse positum. Jam in eo erravit, quod, quae tantum *rerum* ipsarum est conjunctio et necessitudo, eam ad orationis formam transtulit. Hoc vero fieri omnino non posse, supra probare studuimus. Quae si recte disputavimus, apparet, ridiculam fere esse eam opinionem, qua indicativus rem aliquam certius significare dicitur conjunctivo et optativo. His enim omnibus rationis judicium continetur eodem modo certum, atque, si quidem hoc ipso vocabulo *certum* in tota hac re uti licet, quodque orationis genus certum habendum est, si auctor id, quod mente concepit, distinctis verbis declaravit, ut dubitari non possit, quam in partem sit dictum.

De significatione particulae ἄν et de ratione, qua ejus usus nititur.

Sed haec fere sunt, quae in iis, quibus significationem particulae ἄν explicuerunt, illi Viri doctt. improbanda esse videntur. Jam, quid nobis de eadem hac re videatur, accuratius explicemus. Duo autem sunt, quae ut diximus, tractabimus. Primum enim quaeramus, quae sit vis hujus particulae, deinde qua ratione nitatur ejus usus. Hoc enim uno modo tota haec res apte explicari posse videtur. Id saltem certum est, viros doctos, si non solum in usu vocis constituendo acquievissent, sed etiam *cur* Graeci eam tam frequenter orationi inseruerint, quaesivissent, diversissima non fuisse disputaturos. Quod autem vim hujus particulae attinet, hoc jam Reisigius recte dixit, eam nullo modo vertendo posse explanari. Hoc enim constat, in nulla alia lingua, quod equidem sciam, reperiri, quod ei ex aliqua tantum parte respondeat, vocabulum. Est autem adverbium, quod verbi modis additum, significat, sententiam his ipsis expressam non solute et simpliciter poni, sed conjuncte et comparate

pronuntiari. Atque id, quod sententiam ita pronuntiatam ad aliud referri jubet, ipsius loquentis est cogitatio. Hac igitur continetur ea conditio, qua illa vera putanda sit, haec norma quasi et mensura, qua illa metienda esse dicatur. Itaque in explicanda particulae notione cum iis consentimus, qui in ea conditionis vim inesse existimant; sed dissentimus ita, ut hanc ipsam conditionem, qua quid sit, in una loquentis cogitatione positam esse contendamus. Quod cum ita dicimus, particula ἄν, ubicunque addita sit [3]), subjectivam (licet enim in hac re et barbaris vocabulis uti) loquendi rationem *diserte* significari volumus. Sed, ne quis hanc rationem prorsus convenire putet cum notione optativi, tenendum est, hoc indicari, fingi aliquid animo, omnino non spectata vera ipsius rei ratione; subjectiva autem hac ratione continetur proprium loquentis judicium de ipsa rei *natura.* Sed tantum abest, ut addita haec, quam intelligimus, conditio sententiam incertam reddat et ambiguam, ut, cum accuratissima definitione eam explicet, exactissimam cogitationis animo conceptae tanquam speciem exprimat. Est enim haec cujusque conditionis natura, ut, quod ex ea sequatur, non infinite et et generatim dicatur, sed ad certam unam rem adstringatur. Quodsi vero addenda particula ἄν indicatur, qualis sit conditio, qua quid pronuntietur, id ipsum intra angustiores etiam fines coercetur, et in exiguum, ut ita dicam, gyrum compellitur, in quo facile comprehendatur, et quid sit, percipiatur. Itaque id, quod adjunctam habet illam particulam, propriam loquentis sententiam continet, ad certam aliquam conditionem revocandam; quae quidem conditio aut disertis verbis explicatur, aut ejusmodi est, quae facillime intelligi possit. Utroque autem modo haec ipsa sententia peculiaris et individua quasi pronuntiatur. Apparet hoc loquendi genus ad formam orationis esse dilucidius et significantius, ad sententiam cautius et modestius, cum primum, quale quidque sit et quomodo intelligendum, statim videamus, deinde, quidque non simpliciter ratum omnibusque probandum praedicari, sed ab uno auctore ita, ut dicat, existimari, sentiamus. Utrumque hoc cum ingenio Graecorum, maxime Atheniensium, egregie convenit. Qui liberae civitatis homines, ut, quid ipsi maxime pro se quisque de rebus publicis sentirent, aperte profiteri solebant, ita mira ista humanitate et urbanitate monebantur, ne quid inconsultius et confidentius dicerent.

---

3) Reisigius quoque in nonnullis locis explicandis hoc attigit, sed in eo totius rei cardinem verti, non satis intellexit.

Sed haec sunt, quae disputanda esse videbantur de notione particulae ἂν et significatione. Quae ne somnia esse videantur, ratio quoque est explicanda, qua ejus usus nititur. Atque cum jam significaverimus, hanc ipsam rationem positam esse in subjectivo, quo uterentur Graeci, loquendi genere, dicendum est nunc, quod hoc sit genus, et id ipsum Graecis fuisse in usu, probandum. In universum quidem oratio, cum, quae a loquentis ratione proficiscantur, contineat, omnino subjectiva dici potest. Sed ita quoque duo ejus genera discernenda sunt. Alia enim *simpliciter* esse vel fieri, alia videri *nobis* esse dicimus; illud objectivum, hoc subjectivum loquendi genus appellamus. Utriusque vero generis discrimen cernitur et in sententiarum necessitudine, et orationis forma. Illud res, ut in sensus cadunt eosque movent, describit; quae, cum oculis juxta esse cernantur, oratione quoque explicitae aequantur. Hoc vero non, quae conspiciuntur, sed quales rationis judicio existimantur, verbis declarantur. Atque hoc loquendi genus Graecorum maxime proprium esse, dicimus. Quod quomodo factum sit, ut potissimum colerent, levi quidem significatione supra indicavimus, sed accuratius explicare non licet. Et probasse sufficiet, eos solitos esse illo uti. Atque primum quidem ad hoc orationis genus retulerim illam dicendi legem, apud Graecos et Romanos multo magis, quam apud nos usitatam, qua *leviora* subjiciuntur *gravioribus*. Ut enim ratio singulas res, non ut sub sensus cadunt, per se spectat, sed earum causas, alias ex aliis aptas, investigat, ita et ab illis hoc factum esse videmus, ut alia secundaria, alia primaria pronuntiarent, et ex his illa necterent. Ita in enuntiationibus compositis ea omnia, quae causam, conditionem, temporis notationem, alia ejusmodi continent, ad summam notionem accuratius definiendam, huic ipsi, cum sint secundaria, subjiciuntur. Ex hac dicendi lege etiam explicandus est frequens participiorum usus, qui a nostrae linguae ingenio quam maxime abhorret. Ea autem adjiciuntur tantum ad verbum finitum, quod dicitur, ut adverbiorum in modum accuratius explicent. Etenim, quemadmodum in singulis bonorum quidem scriptorum libris reperitur summa aliqua sententia, ad quam singulae partes revocantur, et quemadmodum in his ipsis partibus est, quo, quae in iis tractantur, referri possint, ita in simplicissima verborum compositione est unum, quod, qualia cetera esse debeant, constituat. Hinc oritur mira ista sententiarum continuatio in qua singula, ut in republica cives diversorum ordinum, pro diversa sua potestate, vice sua funguntur. Quare fit, ut singula pro eo ac valent, suo loco collocata, interiore magis sententiae vinculo teneantur, cum nostra lingua id

habeat proprium, quod singula singulis externa orationis forma adduntur et junguntur. Sed hoc non ita dicitur, ut subjectivam dicendi rationem a nostra lingua prorsus abhorrere, objectivam illam consuetudinem apud Graecos non inveniri, contendamus, sed ut, quid utrique harum linguarum *maxime* sit proprium et peculiare, appareat. Vix enim fieri potest, ut una ab altera omnino secernatur. Hoc etiam addo, ad aliud litterarum genus aliam dicendi rationem requiri. Sed ea, quae hucusque de subjectivo isto genere diximus, cernuntur in sententiarum natura et necessitudine. Multo autem magis Graeci nobiscum discrepant, si spectamus ea, quibus subjectiva orationis forma continetur. Quae quidem illi habent perfecta omnibusque numeris absoluta. Itaque, cum nos eam loquendi consuetudinem sequimur ut ea, quae nostra tantum opinione dicta esse volumus, orationis forma ab iis, quae *simpliciter* praedicantur, non distinguamus, aut disertis verbis significare debeamus, Graeci ea, quae in loquentis tantum judicio posita sunt, peculiari quadam verborum conformatione explicant. Quod quomodo dictum sit, intelligemus, si Graecos proprio verbi modo uti meminerimus, quo cogitata tantum exprimant, optativum dico. Atque hoc ipso verbi modo fieri potuit, ut peculiare dicendi genus, quod in uno loquentis judicio positum est, coleretur, quam orationem obliquam appellamus. Vix autem est, ut de ea accuratius explicemus, cum nihil, nisi Graecos subjectiva dicendi ratione potissimum usos esse probare velimus. Sed ad hanc ipsam rationem et multa alia pertinent, praecipue magnus istarum [4]) particularum numerus, quae loquentis maxime sententia sit, diserte significantium. Quae quidem, cum alia nostra sit quam Graecorum ratio cogitandi, vertendo raro tantum explicari possunt, sed pluribus verbis enuntiari debent. Atque ne sic quidem, quod non eo, a quo profectae sunt, vividiore ingenii vigore et fervidiore mobilitate vigemus, ita percipiemus, ut animum tangant. Ut enim omnia venusta subito tantum acumine percepta delectant, ita et lumina ista, quibus orationem hae particulae distinguunt et illustrant, explicando exstinguuntur earumque vis plane infringitur. In hac igitur re posita est particularum explicandarum difficultas. Haec autem omnia, quae de hac difficultate diximus, praecipue cadunt in particulam ἄν. Quodsi vero id recte disputavimus, primum, eam hanc habere vim, ut semper ad conditionem referatur, deinde, hanc ipsam conditionem niti loquentis cogitatione, magna istius difficultatis pars removetur. Certam

4) Maxime hoc, quod inter utramque loquendi rationem intercedit, in negandi particulis observatur, quarum οὐ *simpliciter*, μή e loquentis sententia negat.

enim et definitam notionem habemus, qua adhibita omnia jam facilius explicari possunt; scimus praeterea, cur Graeci hac loquendi ratione utantur.

De constructione particularum ἂν et κὲν in universum.

Jam videamus, num ea harum particularum vis in omnibus locis teneri possit. Primum quidem de earum constructione in universum. Hoc autem constat, eas nulli vocabulo adjungi posse, nisi verbo, quod proprie appellatur. Hoc 5) Hermannus quoque contendit, quamquam in singulis locis explicandis non ubique tenet. Sed scribit idem: modos formasque verbi admittunt omnes hae particulae, quia in omnibus accedere potest conditionis notatio.“ Quae vereor, ut recte dicta sint. Etenim quaeritur, num omnium temporum et modorum ea sit ratio, ut id, quod solae jam per se exprimunt, ad conditionem praecipue eam, quam Herm. intelligit, referri possit. Quod si perpenderis accuratius, tempora absoluta et relativa, quae dicuntur, diligenter esse discernenda intelliges. Illa autem rem aliquam simpliciter indicant, ita ut per se intelligi et possint et debeant; in quibus conditionis significatio accedere posse non videtur, sed de ea re accuratius est dicendum. Sententia autem temporibus relativis expressa ita est comparata, ut si quae ejus sit ratio, percipere velimus, ad aliam, sive expressam sive omissam revocanda sit. Haec igitur conditionis notatione accuratius constitui posse videntur. Ita et modorum non eadem est natura. Sed quid de his omnibus statuendum sit, suo loco videbimus.

I. *Particula ἂν cum indicativo conjuncta.*

I. De praesente. Indicativum eum verbi modum appellamus, quo esse aliquid, simpliciter significamus, non quaerentes, num id ipsum sit, annon sit. Praesens autem hujus modi, quo *nunc jam* aliquid esse vel fieri dicitur, tempus est absolutum; quo, quod exprimitur per se intelligendum est, neque, ut intelligatur, alio referendum. Hanc quidem ob rem conditionis notatio accedere posse non videtur. Quod enim jam fieri simpliciter dicitur, id fieri conditione, dici non potest. Sed cum praesentis temporis notio latius pateat, idem est tempus relativum. Atque hoc modo cogitari potest, sententiam praesente ita exprimi, ut auctor eam suam tantum, certa quadam condi-

5) Classic. Journ. vol. 34. p. 169.

tione intelligendam, declaret. Sed quaeritur, num id, quod rationi non repugnet, exemplis quoque confirmari possit. Quae paucissima sunt certa illa quidem. Atque in certa tantum quadam dicendi formula Graecos cum hoc tempore particulam ἂν conjunxisse puto, hanc dico: [6]) *οὐκ οἶδ' ἂν εἰ πείσαιμι*, (*πειρᾶσθαι δὲ χρή.*) *Οἶδα* enim revera est praesens tempus. Reisigius p. 122. haec ita explicat, ut particulam ἂν ad verba *εἰ πείσαιμι* referat, quasi dictum sit *οὐκ οἶδ' εἰ πείσαιμι ἄν.* Sed non intelligitur, quid sit causae, cur haec ita transponantur; ea enim, quibus Reisigius hanc difficultatem removere studet, nihil probant. Haec enim particula aut ipsi verbo postponitur, aut aliis adverbiis, quibus notio verbi constituitur accuratius, subjungitur. Itaque referimus ἂν ad verbum *οἶδα*, cujus ea est notio, ut illam particulam admittat. Jason enim, cujus haec sunt apud Euripidem verba, non simpliciter dicit, se *omnino* nescire, an persuadere possit, quo profecto non multum solatii praebebat Medeae de liberis suis sollicitae, sed id tantum vult, nescire se, an ea, quibus ipse uti possit, ad persuadendum idonea sint et apta. Itaque, non dubitat [7]) fieri posse, ut istis, quibus opus sit, persuadeatur, sed, num ipse idoneus sit, qui hoc faciat, id dubitat. Atque hoc ipsum dicendum erat, si Medeam consolari volebat. Eodem modo explicandus est iste Alcestis locus. Ceterum tenendum est, *οἶδ' ἂν* non reperiri, nisi addita enuntiatione, qua continetur conditio. Sed alia exempla, in quibus ἂν cum praesente junctum sit, reperio nulla certa. Facile vero caussa afferri potest, cur Graeci hoc dicendi genus non receperint. Ea enim, quae illo tempore, addita particula, dici poterant, aliis modis exprimebant.

II. Videamus, quid de perfecto statuendum sit. Est autem hoc tempus absolutum ejusmodi, ut, quod re praeterita factum sit, ejus momenta jam conspici, ostendat. Quod vero ita absolutum esse dicitur, id nullam, quaecunque est, conditionem admittit. Ea enim tantum referri potest ad illa, quae futura esse, vel saltem ad certum quendam statum nondum pervenisse, dicuntur. Sed ut notioni hujus temporis repugnat illa particula, ita ne unus bonorum quidem scriptorum locus afferri potest, in quo revera cum eo juncta reperiatur.

III. Pervenimus ad futurum. Hoc quoque tempus absolutum quidem esse diximus; sed quod futurum esse dicitur, id etiam conditione, qua futu-

6) Eurip. Med. 930. cf. Alcest. p. 48.
7) Non negatur objectiva ista possibilitas (sit venia verbo) sed subjectiva.

rum sit, addenda pronuntiari potest. Itaque ea res, non ad incertum quendam casum et eventum, sed circumscripte et definite ad loquentis cogitationem transfertur. Nihil igitur obstabat, quo minus huic tempori adderent particulam *ἄν*, quod saepissime factum esse videmus, et apud Homerum et alios bonos scriptores ut:

Καὶ κέ τις ὧδ' ἐρέει Τρώων ὑπερηνορεόντων [8]).

Agamemnon his verbis dicit, quid sibi Trojani dicturi esse videantur, si Menelaus vulnere, quod acceperat, interiret. Quodsi omissa esset particula *κέ*, universe et generatim hoc dictum esset (objectiva ratione), quod, ea addita, unius Agamemnonis judicio (ut revera ista conditione futurum), continetur. Optativo quoque uti poterat, *εἴποι ἄν*, ut in iis, qui antecedunt, versibus [9]) 171 et 173; sed tum cogitata tantum essent. Sed cur futurum praetulit poeta? haud dubie in futuro major est vis, quae hoc loco requiritur. Nam Agamemnon fratris calamitate vehementissime commotus, *praesentem* et *vividam* exhibet speciem ignominiae et dedecoris, quae metuit ne illo mortuo suscipiat. Postea, cum repetit haec verba, omittit particulam: *ὥς ποτέ τις ἐρέει*, idque propterea, quod, cum ante oculos proposita Trojanorum oratione mordaci, etiam graviore indignatione accensus esset, jam asseverantius et confidentius eloquitur, quod metuat. Solent enim homines, ubi mala ingruere praevident, de quarum propulsatione desperant, cum indignatione quadam, ea revera esse ventura, firmissime asseverare. Quae de hoc loco diximus, addenda particula sententiam ad loquentis judicium referri, id de omnibus existimandum est. Quod Thierschius [1]) illum versum: *πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω* ita explicat, ut solum *οὐ μυθήσομαι* significare existimet, non eloquar, quamquam possum, *οὐ μυθήσομαι ἄν*, non eloquar, cum fieri non possit, id omnium est falsissimum. Primum illud *simpliciter* (objectiva ratione) ideoque generatim negat, hoc conditione negat, a loquentis judicio proficiscente (subjectiva ratione) et sententia haec est: si accuratius dicere velis, quomodo ego possim, hoc, si quae sint vires ingenii mei, cogito, non intelligo.

Itaque haec particula neque extollit, neque imminuit rei ipsius veritatem: neque dici potest, id, quod singulatim pronuntietur, propterea minus esse

---

8) Il. 4, 176. cf. I. 174. XVII. 144. 515. Odyss. IV, 754. V, 37.

9) *Καί κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἱκοίμην* et
κὰδ δέ κεν εὐχωλὴν Πριάμῳ καὶ Τρωσὶ λίποιμεν.

1) Grammat. edit. II. p. 440. cf. Il. β. 488.

verum, quam quod universe; illud tantum modestius, hoc confidentius dictum. Reisigius [2]) autem contendit, cum futuro tempore, aliquid verisimile esse indicetur, hac particula addenda rei probabilitatem extolli; propterea negat eam addi posse, si quis interroget. Sed facile intelligitur, et ita quaeri posse de re, ut non solum, num ea verisimilis, sed probabilis, imo vera futura sit, cognoscere velimus. Jam etsi eam, quam ille vir doctiss. animo sibi informaverat hujus voculae significationem, tenemus, tamen futuro tempori, quo quis in interrogando utitur, addi potest; idem fieri licet per nostram rationem. Itaque decantatus ille Aristophanis [3]) locus legendus est:

ἆρά γε τοὐτ
ἂν ἐγώ ποτ' ἐπόψομαι.

Duplex interrogatio, quam Reisigius in hoc loco statuit, repetita vocula *ἄρα* pro *ἄν*, maxime displicet; nam ut sententiam tantum respiciam, Strepsiades non debet quaerere, num *omnino fieri* possit, ut ista, quae promiserat chorus, percipiat, sed hoc tantum, num *ipse confidere* possit, se percepturum esse. Fieri enim posse, ut aliorum exemplis intelligere poterat, ita parum curabat; sed non ignorans, quam parum valeat ingenio, hoc quaerit. Eadem est ratio illius loci [4]):

οὐδὲν γάρ ἄν με φλαῦρον ἐργάσεσθ' ἔτι

Strepsiades enim, cum a Socrate audivisset, filium suum summa eloquentiae vi esse instructum, laetitia exsultans, nunc non esse metuendum, dicit, ne creditores se vexent. Sed hoc non ita dicit, quasi istis jus suum persequi *omnino* non liceat, sed ut se jam cognita habere artificia significet, quibus illos eludere possit. Alia exempla sunt [5]): *κἂν μὲν δοκῶμεν ὠφελεῖν πλείονα ἐπ αὐτῶν συναγωνιζόμενοι, οὕτω προθυμίας οὐδὲν ἂν ἐλλείψομεν* et [6]) *λέγοντες ὅτι — ῥᾳδίως ἂν Ἀκαρνανίαν σχόντες καὶ τῆς Ζακύνθου κρατήσουσι.* In hoc loco nemo particulam *ἄν* ad particip *σχόντες* retulerit. Addere libet locum Euripidis [7]):

οὐδ' ἂν τελείας χρυσέας τε Γοργόνος τρίαιναν ὀρθὴν — Εὔολπος ἀναστρέψει.

Jam igitur constat hoc dicendi genus; et ubique ea, quam his axemplis probare studuimus, efficitur sententia. Quod vero nonnulli viri docti [8]) et eos locos huc referunt, in quibus infinitivus futuri temporis adjunctam habet hanc

2) p. 100. 3) Nubb. 466. 4) Nubb. 1157. 5) Xenoph. Cyrop. IV, 5, 15. 6) Thucyd. II, 80. 7) Fragm. Erechth. apud Lycurg. in Leocrat. c. 24. edit. Pinzger vers. 46. cf. Soph. Oed. Tyr. 1088. Plura exempla vide apud Herm. classic. Journal vol. 34. p. 176 seqq. 8) Goeller ad Thucyd. V, 15. vol. II. p. 18. Krueger ad Xenoph. Anab. II, 3, 18.

particulam, id parum recte et accurate faciunt. Ejus enim alia ratio est, quam indicativi. Ceterum, quod particula ἂν apud ceteros scriptores rarius, quam apud Homerum conjuncta cum fut. reperitur, propterea non pravus judicandus est hic usus. Ea quoque, quam [1]) Hermannus dicit, prisci temporis fluctuatio, nulla est. Ut enim prima linguae aetate major formarum et terminationum in singulis vocibus copia et ubertas, ita in verborum structura mira quaedam varietas. Quae quidem nullo modo incondita quaedam orationis inconcinnitas videri potest; primum enim singula dicendi genera suam habent sententiam, illam quidem semper eandem; tum vero fluctuatio dici non potest, quod cum iis, quibus nostra cogitandi ratio coarctata est, legibus non convenit. Ergo ita potius existimandum erit, in ista varietate et urbertate linguae, quae apud Homerum reperitur, gravissimam jacturam fecisse Graecos.

IV. Sed dicendum est de ceteris temporibus. Habemus autem duo tempora relativa, imperfectum et plusquamperfectum. Quae cum nihil absolute declarent, sed id, quod continent, alio referri jubeant, hoc, ad quod refertur, accuratius definit, quomodo illud sit intelligendum. Haec autem accuratior explicatio cujusmodi esse debeat, id semper pendebit e loquentis judicio. Apparet jam, et conditionem posse accedere, a loquentis cogitatione profectam, quae ad alterum istud explicatius dicendum aut exprimatur, aut facile intelligatur. Est enim, ut rem nostram teneamus, horum temporum ea natura, ut, quemadmodum externa forma conveniunt, ita ad notionem quoque ejus modi accedere possint, quo cogitata tantum declaramus. Etenim quod ut cogitatum praedicatur, habere debet, quo revocetur; id vero ipsum, quo revocatur, nihil potest esse, nisi conditio, qua cogitatur. Hoc igitur tempus relativum et optativus modus habent commune, quod non per se intelliguntur, sed ut, quomodo referant sententiam, perspiciatur, alio revocantur. Porro id, ad quod revocatur, in illo potest, in hoc debet esse conditio. Quodsi vero res, in certo quodam temporis praeteriti momento posita, ad conditionem revocatur, apparet, eam dici non factam esse. Itaque evenit, ut Graeci eas conditiones, quae impleri non possunt, temporibus praeteritis, eas, quae in cogitatione tantum versantur, optativo declarent. Sed jam videamus de singulis, et primum de *imperfecto*. Ut vero apparet ex iis, quae modo disputavimus, imperfectum solum per se poni posse, ita ut sequenti conditione explicetur accuratius, sic exemplis potest confirmari.

---

1) Classical Journal vol. 34. p. 169.

Οὐδ᾽, εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον [2]),
ἀκάθαρτον ὑμᾶς εἰκὸς ἦν οὕτως ἐᾶν.

Haec, οὐδ᾽ ἦν εἰκὸς non decebat, revocantur ad conditionem εἰ μὴ ἦν θεήλατον. Dicitur igitur, remoto prorsus ipsius loquentis judicio, quid fieri non debeat. Utuntur autem Graeci et Romani hoc loquendi genere, ut omnia ea, quae fieri *debent*, simpliciter pronuntient idque *asservantius*, vero recti sensu ducti. Quod enim fieri debet, id e conditione dici non licet pendere, num fiat. Nos quidem aliam rationem sequentes, ad haec exprimenda ea verbi forma utimur, qua conditio continetur.

Sed satis in vulgus hoc notum est [3]). Quaeritur jam, quae, si addatur ista particula, exsistat sententia, ut in his: ἐγὼ — σφόδρ᾽ ἂν ἡγούμην — φοβερὸν εἶναι τὸν Φίλιππον, εἰ τὰ δίκαια πράττοντα ἑώρων αὐτὸν ηὐξημένον [4]). Hoc quoque loco simpliciter dici poterat, ut in illo loco, ἡγούμην — εἰ ἑώρων, sed ubi non ea est, quam attulimus causa, cur quid cum vi et gravitate quadam contendatur, *suam* rationem sequentes Graeci, haec ad conditionem referunt, qua ea futura esse vel fuisse opinentur. Itaque et Demosthenes hoc loco non dicit *omnino* fore, ut metuendum esse ducat Philippum, sed ita tantum, si ipse impleri videat eam conditionem, qua justam causam metus esse *putet*. Hoc igitur modo sententia non universe pronuntiatur, sed circumscribitur et continetur ea, quae in loquentis judicio versatur, conditione. Hanc unam esse causam, qua hic particulae usus nitatur, primum intelligi potest ex eo, quod, ut explicuimus, in universum quidem idem, ea omissa, dicitur, deinde vero, quod rationis judicium prorsus non postulat, ut ejusmodi tempus imperf. alio modo accuratius constituatur. Nam quomodo dictum sit, apparet e conditione, quae disertis verbis explicatur, ita ut particula addita vel redundare videatur. Quod si quis opinetur, meminerit Graecos eam, quam supra explicuimus, sequi loquendi consuetudinem, in eo positam, quod omnia ad suum judicium revocant eoque, qualia habenda sint, et qua ratione inter se jungenda, significant. Quare illud, quod supra diximus, efficitur, ut moveant orationem et impellant, suique ipsorum ingenii mobilitatem addant. Sed hunc usum aliis nonnullis exemplis illustremus: Legitur apud Demosthenem in eadem [5]) oratione: οὐ δὴ θαυμάζω τοῦτ᾽ ἐγώ· τοὐναντίον γὰρ ἂν ἦν θαυμαστόν, εἰ μηδὲν ποιοῦντες ἡμεῖς ὧν τοῖς πολεμοῦσιν προσήκει, τοῦ πάντα ποιοῦντος, ἃ δεῖ, περιῆμεν.

---

2) Soph. Oed. Tyr. 256. edit. Herm.
3) Matth. Gr. p. 858. et 966 sq. Reisig. p. 138 sq.
4) Demosth. Olynth. II. p. 19. Reiske.
5) p. 24. fine.

In his ex opposito *οὐ δὴ θαυμάζω* jam intelligi licet, illa *ἦν ἂν θαυμαστόν* ita dicta esse, ut orator, *sibi maxime* mira visum iri, significet. Qui totum locum accuratius inspexerit, in verbis, de quibus agitur, nihil esse intelliget, nisi propriam Demosthenis opinionem. In iis enim, quae antecedunt, primum *in universum* dicit, mirum non *est*, si Macedonum rex, temporibus inserviens, nos superat; et tum addit, hoc equidem *saltem* adeo non miror, ut contrarium vehementer mirer. Porro: *εἰ γὰρ μὴ παρῆλθε Φίλιππος, οὐδὲν ἂν αὐτοῖς (Θηβαίοις) ἐδόκει εἶναι* [6]). Non dicit orator, quid spectaverint, sed quid *sibi* videantur spectasse Thebani, atque ita, quomodo factum sit, ut Philippum in auxilium vocarent, *sua opinione* explicat, ut et in his: *πολλὰ προείμεθα, ὧν ὑπαρχόντων, τότ᾽ ἄν, ἢ νῦν ἀσφαλέστερος καὶ ῥᾴων ἦν ἡμῖν ὁ πόλεμος* [7]). Quod autem hoc loco conditio latet in participio, nihil in sententiae ratione mutat.

Sed quod de conditione imperfecto tempore expressa dictum est, intelligi potest etiam de plusquamperfecto; propterea non est, quod exemplis illustremus. Jam vero fieri potest, ut conditio omittatur, sed ita ut facillime intelligi possit. *Ἀριθμὸν δὲ γράψαι, ἢ καθ᾽ ἑκάστους ἑκατέρων ἢ ξύμπαντας, οὐκ ἂν ἐδυνάμην* [8]), facile hoc loco intelligitur — et si vellem. Apparet, credo, Thucydidem hoc ita dixisse, ut significet, se utriusque partis copias enumerare non posse, si meminerit, quam parum eas cognitas habeat. Si omisisset *ἄν*, hoc dixisse videretur, se eum esse, cui hoc omnino per ingenii vires non liceat. Nam et in hoc loquendi genere particulam omitti posse, docent exempla: *χρῆν δ᾽ εἰς γυναῖκα πρόσπολον μὲν οὐ περᾶν* [9]) et: *χρῆν γάρ σε μήτ᾽ αὐτὸν ποτ᾽ ἐς Τροίαν μολεῖν, ἡμᾶς τ᾽ ἀπείργειν* [1]). Pertinent haec ad id genus, in quo, ut supra vidimus, Graeci illa particula numquam utuntur, ne, quod omnino rectum et honestum haberi debet, a singulis tantum id judicari videatur. Exempla autem in quibus particula, et omissa conditione, his temporibus adjuncta reperitur, sexcenta sunt: *τῆς εἰρήνης ἂν διημαρτήκει, καὶ οὐκ ἂν ἀμφότερα εἶχε* [2]), sed quaecunque ea sunt, particula *ἂν* semper indicat, haec non universe dicta esse, sed revocanda ad loquentis judicium.

Sed dicendum est de eo genere, in quo particula *ἂν* libere addita imperfecto, h. e. omissa conditione, habere putatur [3]) consuetudinis significatio-

---

6) Dem. de pace. p. 62. 7) l. l. p. 60. cf. de Rhod. libert. p. 194. Olynth. I. p. 11.
8) Thucyd. V, 68. 9) Eurip. Hypol. 641. cf. 929. 1) Soph. Philoct. 1347.
2) Demosth. de cor. 235. 3) Matth. Gr. p. 1197. Thiersch Gr. p. 440. Herm. ad Viger. p. 820. Class. journ. vol. 34. 172.

nem. Affertur locus Sophoclis[4]): *γαστρὶ μὲν τὰ σύμφορα|τόξον τόδ' ἐξεύρισκε|πρὸς τὲ τοῦθ' ὅ μοι βάλοι|νευροσπαδὴς ἄτρακτος, αὐτὸς ἂν ταλας|εἰλυόμην — ἐξέλκων πόδα πρὸς τοῦτ' ἄν· εἰ τ' ἔδει τι καὶ ποτὸν λαβεῖν — ταῦτ' ἂν ἐξέρπων τάλας| ἐμηχανώμην· εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν.* In his quid omnino factum sit, simpliciter dicitur, *τόξον ἐξεύρισκε*; indicatur in universum ratio, qua vitam sustentaverit Philoctetes. Jam vero singula per partes describuntur; quae omnia, cum non expedita fuissent, consentaneum erat describi ea, quae Philoctetes judicaret, et qua conditione perfecta meminisset. Quod ut indicaretur dictum est *εἰλυόμην — ἂν — ἐμηχανώμην — ἂν —*, non igitur *simpliciter* dicitur factum esse, sed ea conditione, quam in mente habet, sed non disertis verbis indicat. Quae quidem nulla est alia, quam „si *per pedis ulcerati dolores liceret.*" Idem dicendum est de verbis *πῦρ ἂν οὐ παρῆν* — si fovere non potueram. Si igitur volumus, in his omnibus consuetudinis significationem inesse, ea continetur tempore imperfecto. Tantum autem abest, ut particulae in hoc loco illa sit vis, ut ea consuetudinis notio, quae in ipso tempore latet, restringatur ad judicium loquentis, qui, qua conditione et ratione servata sit ista consuetudo, sua opinione explicat. Sed satis de hoc genere.

V. *Videamus de aoristo.* Quod Graeci aliquo temporis praeteriti momento, quod accuratius constituendum non erat, omnino factum dicere volebant, id aoristo declarabant. Quod cum per se intelligi possit, neque alio, ut recte intelligatur, revocetur, tempus absolutum dici potest, sed multum differt a perfecto. Hoc enim res facta ad certum quendam statum pervenisse dicitur, in quo jam cernatur; illo, rem factam esse, significatur, nulla prorsus ipsius exitus ratione habita. Jam si id, quod ad hoc tempus praeteritum spectat, certae cuidam conditioni subjectum esse dico, facile intelligitur, id quoque non esse factum, et ne sperari quidem posse, fore ut fiat. Itaque Graeci aoristum adhibuerunt ad declaranda ea, quae significare volebant futura fuisse, si aliud incidisset. Quae vero supra disputavimus de ratione, qua particula *ἂν* conjungatur cum imperfecto et plusquamperf., ea omnia cadunt etiam in aoristum. Primum igitur aoristus solus per se indicat aliquid *omnino* futurum fuisse: ut

ἔνθ' ἀπὸ ῥινός τε δρύφθη, σὺν τ' ὀστέ' ἀράχθη,
εἰ μὴ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη [5])

ut Latini: Praeclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus

---

4) Philoctet. 290. 5) Odyss. V. 426. cf. Matth. Gr. p. 967.

recepisset Antonium. Deinde additur particula, si, quod loquentis opinione futurum fuisse, indicandum estut:

ἔνθα κε δὴ δύστηνος ὑπὲρ μόρον ὤλετ' Ὀδυσσεύς
εἰ μὴ ἐπιφροσύνην δῶκε γλαυκῶπις Ἀθήνη [6]). et
Εἰ μὴ γὰρ ὅρκοις θεῶν ἄφρακτος εὑρέθην
οὐκ ἄν ποτ' ἔσχον μὴ οὐ τάδ' ἐξειπεῖν πατρί [7]). porro
Οὐ γὰρ ἂν ἥψατ αὐτῶν (χωρίων) παρόντων ἡμῶν [8]).

In his omnibus plane non intelligitur, quae sit particulae vis, nisi, quod sit proprium loquentis judicium, significare eam, statuamus. Sola enim conditionis vis, ut supra diximus, redundaret, ubi disertis verba ea additur. Ceterum ex iis, quae explicata sunt, apparet, addenda particula ne minimum quidem immutari ipsius verbi potestatem, sed potius accedere ad eam novam notionem, qua ea ipsa accuratius explicetur.

II. *De Conjunctivo.*

Conjunctivus est is verbi modus, qui significat, aliquid non esse per se, sed pendere aliunde, num fiat. Quod ut nescimus, ita speramus fore, ut fiat. Propterea in conjunctivo inest verisimilitudinis quaedam significatio. Itaque particula *ἄν*, quia novam notionem adjungere non possit, addenda non esse videatur. Veri quandam speciem hoc habet; atque iis in locis, in quibus hic modus absolute positus esse dicitur, interrogandi et adhortandi formulas dico, revera non additur *ἄν*. Sed hoc recte habet. Etenim, qui inops est consilii, interrogat, quid omnino fieri debeat; item, qui adhortatur, certam aliquam rem exsequendam esse censet, eamque simpliciter fieri jubet. Sed alia quoque ratione conjunctivus libere positus reperitur, qui quidem usus ad rudem et inconditam Homericae aetatis orationem, perperam referri solet, ut:

οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι [9]).

Quem locum, qui accuratius inspexerit, omnia ad sententiam esse aptissima videbit. Cum (in conjunctivo enim inest quaedam verisimilitudinis significatio), Nestor simplici conjunctivo utitur, *οὐδὲ ἴδωμαι*, asservantius et confidentius hoc dicit, *omnino* non esse verisimile, *ut tales homines videat*, quales fuerint Pirithous, Dryas alii, *idque propterea*, *quia* suo tempore non jam sint. Contra afferamus locum ubi *ἄν* additur,

πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω,
ὅσσοι Ὀδυσσῆος ταλασίφρονός εἰσιν ἄεθλοι [1]).

---

6) Odyss. I. I. 436. Il. 17, 319 et 330. 15, 121. 7) Eurip. Hipp. 653.
8) Dem. pro cor. p. 235. 9) Il. I, 262. 1) Odss. IV, 240.

His Helena negat, se omnia enumerare posse, sed ita, ut particula addenda significet, se *ipsam dubitare, num* possit, propterea, quod non omnia comperta habeat. Intelligi licet hoc loco, discrimen istius subjectivae et objectivae rationis non in forma tantum orationis esse positum, sed in re quoque oratione expressa. Sed haec non ubique conjuncta esse vix est quod moneam; multa, imo plurima Graeci, ut supra probare studuimus, ita oratione explicant, quemadmodum ipsis apparent. Aliud exemplum est hoc [2]) —

τὴν μὲν ἐγὼ σὺν νηΐ τ' ἐμῇ καὶ ἐμοῖς ἑταρὰροισιν
πέμψω, ἐγὼ δέ κ' ἄγω Βρισηΐδα καλλιπάρηον.

Dicit Agamemnon, cum Apollo Chryseidem reddere jubeat, eam quidem dimittam; hoc fut. idque simpliciter, quia omnino certum erat hoc facere, declarandum videbatur, deinde addit κέ ἄγω h. e. verisimile puto, imo confido, me ducturum esse Briseidem, ita quidem, si potuero. Quod ipsum cum maxime spectandum esset, apte haec sententia ad loquentis opinionem revocata est. Ceterum non possum, quin sententiam eorum [3]) improbem, qui hoc dicendi genus cum optativo convenire opinantur. Etenim cum optativus quoque apud ipsum Hom. reperiatur sexcenties, intelligi non potest, cur haec ita misceantur. Sed addamus, ut quid intersit, videamus, illum Odyss. versum

τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς [4]).

Hoc loco dicit Telemachus, sua quidem sententia fore, ut quis ceterorum principum habeat, si velit. Atque, hoc recte dictum esse, intelliget, qui quae isto tempore civitatum fuerit conditio, compertum habet. Sed si optativo dixisset, hoc animo tantum fingi et in sola cogitatione versari, indicaret, id quod hoc loco sanum quidem sensum non praeberet. Quid vero? si utrumque in eodem versu jungitur, non profecto idem est: ut in illo:

ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη [5]).

Describit Penelope rationem, qua reges subditos tractare soleant, in hanc fere sententiam. Mea quidem opinione reges, si modo possunt, alios (hoc verisimile est) male habent, alios placidius tractant. Hoc ut cogitatum tantum profert, quo, num omnino in regibus sit aliqua humanitas, non significatur, atque hoc vult, ut Ulyssei in subditos clementia eo magis cernatur.

Quod vero liberior hic conjunctivi usus post Homeri aetatem reprobatus

---

2) Il. I. 184. cf. 205.   3) Matth. Gr. p. 991.   4) Od. I, 396. cf. IV, 391.
5) Odyss. 4, 692.

est, id ita potius factum esse existimemus, ut, quo acutius novis philosophandi artificiis omnia finirentur, eo magis largam eamque gratam variandae orationis copiam periisse dicamus.

Superest ut explicemus de conjunctivi usu in enuntiationibus compositis. Qui quidem in duplici genere cernitur, primum in eo, quo conditionis significatio continetur; alterum est id, quo consilium exprimitur. Restant quidem ea, quae temporis et causae notationem habent; quae cum ad grammaticam quoque orationis formam cum primo illo genere conveniant, et in nostra disputatione conjungentur. Atque primum videamus de hoc genere. Quod quale sit, ut accurate intelligamus, comparemus cum conditionibus indicativo modo expressis. Dicimus autem *εἰ θεός ἐστι, καὶ δίκαιός ἐστιν*, in hanc sententiam: si Deus est (sed non quaero, num sit, an non sit) sequitur, id quod necessario pertinet ad notionem summi numinis, eum esse justum. Ita unum ponitur, ex quo alterum rationis judicio cogitur. Sed cum dicimus *εἰ τοῦτο γένηται, καὶ ἐκεῖνο γενήσεται*, causae et effectus, quae vocantur, cohaerentiam significamus, hoc igitur dicimus, si hoc fiat, effici, ut etiam alterum fiat. Intelligitur vero hujusmodi conditionem aut omnino, aut peculiari loquentis judicio adstrictam, posse pronuntiari. Atque utrumque revera factum esse videmus.

τούτω δ' οὐ πάλιν αὖτις ἀποίσετον ὠκέες ἵπποι
ἄμφω ἀφ' ἡμείων, εἰ γοῦν ἕτερός γε φύγῃσιν 6).

Diomedes conditionem omnino declarat, quia et Aenean et Pandarum in se irruentes sustinere, imo occidere posse videtur, non significans, sua opinione istam conditionem incidere posse.

εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι γε περικτεινώμεθα πάντες
νηυσὶν ἐπ' Ἀργείων, σοὶ δ' οὐ δέος ἔστ' ἀπολέσθαι 7).

Significat Hector, quid accidere possit; sed tantum abest, ut *ipse* hoc verisimile esse putet, ut ne avibus quidem, quas interitum sibi portendere dixerat Polydamas, fidem habendam esse contendat. Eodem modo Ulysses dicit, etiamsi Deorum ira, id quod fieri omnino possit, sed quod se metuere non significat, se perdat, tamen se profecturum esse.

εἰ δ' αὖ τις ῥαίῃσι θεῶν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ | τλήσομαι 8).

Ita aliae quoque conjunctiones 9), tempus vel causam significantes cum con-

---

6) Il. V, 258. 7) Il. XII. 245. cf. XI. 116. 8) Odyss. V, 221.
9) cf. Matth. Gr. p. 1007. p. 1025.

junctivo construuntur, item pronomina relat.: ὅπποτ' ἐγώ περ ἴω μετὰ μῶλον Ἄρηος. Ceterum jam exempla a Matth. allata docent, hoc dicendi genus non apud unum Homerum reperiri; hoc tantam addimus, in multis locis voculam εἰ temere mutatam esse cum ἐὰν, cum, quod apud optimos Atticorum scriptores *maxime* legeretur, id unice rectum et verum, nulla quidem idonea ratione, crederetur. Cum vero satis probari possit, in hoc genere peculiarem quandam esse sententiae rationem, in eo quoque negligendo conspicitur detrimentum, quod lingua Graecorum procedente tempore cepit. Sed jam quaeritur, qui factum sit, ut Graeci, si conditionem conjunctivo declarare vellent, vocula ἐὰν potissimum uterentur.

Cum Graeci, ut supra diximus, eam loquendi sequerentur legem, ut, quid ipsis maxime videretur, dicerent, ea vero, quae fieri *possint* caute tantum et cogitate pronuntiari liceat, eam adsciverunt consuetudinem, ut iis conditionibus, quae conjunctivo declarantur, particulam ἄν adderent, eas ex sua quidem sententia impleri posse, significantes. Atque in hac re Atticorum maxime conspicitur mira ista cautio, quam in sermonibus adhibebant. Homerus et omnes ad unum scriptores hoc dicendi genus receperunt, ita quidem, ut alia exsisteret sententia, quam si solam voculam εἰ cum hoc verbi modo conjungerent. Quod cur postea fere solum usu receptum sit, ejus rei causa quaerenda esse videtur in peculiari ista, qua Graeci utebantur, cogitandi ratione. Vix est, quod hunc usum exemplis illustremus, frequentissimum illum quidem, sed Homerica nonnulla addamus, quibus, quod inter hoc et illud genus intercedat discrimen illustrari possit.

Εἰ μέν κεν Μενέλαον Ἀλέξανδρος καταπέφνῃ 1)
αὐτὸς ἔπειθ' Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα, et deinde
εἰ δέ κ' Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος
Τρῶας ἔπειθ' Ἑλένην καὶ κτήματα πάντ' ἀποδοῦναι.

His apparet Agamemnonem dicere, quas pacis conditiones esse existimet; alias enim ferre non poterat. Propterea dicit εἰ κὲν significans, hanc conditionem ad *suam* opinionem esse revocandam.

αὐτὰρ ἐγὼ καὶ ἔπειτα μαχήσομαι εἵνεκα ποινῆς 2),
αὖθι μένων, εἵως κε τέλος πολέμοιο κιχείω.

Addit Agamemnon, si Trojani non mansissent in conditionibus propositis, se pugnaturum, dum bellum confectum sit. Cum igitur, quod suum

1) Il. III, 281. cf. Matth. Gr. 1013 seqq.
2) 688. Il. III. 290. cf. Odyss. IV, 477. Exempl. Matth. 1005 seqq.

sit consilium, indicet, consentaneum est dicere, ad quod usque tempus se illud persecuturum esse existimet.

Eodem modo *κέν* et *ἄν* et aliis particulis et pronom. relat. additur.

ὅν δ' ἄν ἐγὼν ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλοντα νοήσω [3])
ἐλθόντ' ἢ Τρώεσσιν ἀρηγέμεν ἢ Δαναοῖσιν —
ῥίψω.

Jupiter minas gravissimas jactat. Jam igitur significare debet, *quam intelligat* ipse conditionem, qua eas exsecuturus sit.

Addamus pauca de eo genere, quo consilii significatio conjunctivo continetur. Atque cum nihil omnino sana quidem ratione agi possit, nisi ita, ut ad certum quoddam consilium referatur, existimandum esse videtur, hoc ipsum consilium declarandum esse simpliciter. Hoc ita revera fieri, inter omnes constat, neque attinet illustrare exemplis. Jam vero, cum multa, quae expetimus, sint ea, ut dubitatio moveatur, num ea consequi liceat, Graeci in iis pronuntiandis utebantur particula *ἄν*, qua se velle, si modo possent, ea consequi, cautius significarent, ut in illo vers.:

Πεῖρα ὅπως κεν δὴ σὴν πατρίδα γαῖαν ἵκηαι [4]).

Iter, quod Menelaus facturus erat, multis difficultatibus impeditum videbatur. Propterea Proteus hoc non simpliciter dicit consequendum esse, sed se putare, consequendum esse, si fieri possit. Adde:

οἰ μὴν ἀνήσω γ' οὐδὲ νῦν προθυμίας,
ὡς ἂν παροῦσα καὶ σύ μοι ξυμμαρτυρῇς [5]).

Consilium suum indicat nutrix, sed cum nesciat, an consequi possit, ad suam opinionem caute revocat. Sed exempla hujus usus apud omnes scriptores reperiuntur; atque, si modo sententiam, quae eo efficiatur, recte explicuimus, nil attinet pluribus illustrare.

III. *Particula ἄν cum optativo conjuncta.*

Optativo omnia ea, quae animo finguntur et in cogitatione versantur, declaramus, ita tamen, ut non quaeramus, num *revera sit*, quod cum illis conveniat. Ut vero in rerum universitate nihil est solum et ab aliis se-

---

3) Il. VIII, 10. cf. Od. IV, 380. Exempl. Matth. p. 1023 seqq.
4) Odyss. IV, 546. ibid. 749.
5) Eur. Hippolyt. 285. cf. Exempla apud Matth. Gr. p. 1002 seqq.

junctum et separatum, ita id quoque, quod in cogitationem incidit, semper debet referri ad certam quandam rationem. Putares igitur, hunc verbi modum non habere locum in enuntiationibus simplicibus et liberis, idque recte, si ipsa spectatur sententia. Sed multa, etsi disertis verbis non expressa sunt, tamen e totius sententiae conformatione intelliguntur. Itaque fit, ut forma verborum multa sint simplicia, quae ratione ipsius sententiae composita haberi debeant. Hoc cadit in nonnulla dicendi genera, quae optativo continentur, optandi formulas dico. Optiones enim, quae in cogitatione tantum versantur, Graece optativo declarantur. His vero, ut rem nostram teneamus, addi non potest particula *ἄν*. Quod enim optamus, id satis habemus, si omnino obtingat. Quare et orationis forma, qua maxime conditione aliquid impetrare cupiant, Graeci non significant.

Jam vero optativus, si formam orationis spectamus, in iis quoque locis libere positus dici potest, quibus id quod sequitur e conditione, continetur. Ipsa enim conditio, ut plerumque disertis verbis exprimitur, ita quoque omittitur. In his autem locis particula *ἄν* plerumque quidem additur, sed et optativus solus saepissime reperitur. Quod cum sit simplicius, inde ordiamur. Apparet autem, ea, quae in cogitatione versantur, oratione ita posse explicari, ut consensu quasi omnium comprobanda, simpliciter pronuntientur, aut ad loquentis maxime sententiam revocata, definitius circumscribantur. Ad illam sententiam solus optativus requiritur, ad hanc optativ. cum particula *ἄν* conjunctus. Exemplum illius generis est hoc:

ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'· ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος [6]).

Quisque videt, poetam dicere, omnino non cadere in cogitationem, fore, ut duo ferant, quod Diomedes solus; hoc vero, ut generalius, ita confidentius dictum existimatur. Adde:

ἔστι δ' ὁ παῖς περίσαμος· ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν [7]).

In his etiam maxime cernitur sententia, quam solo optativo indicari, diximus. Vult enim Venus, Amorem, filium, tam insignem esse pulchritudine, ut facile cognosci possit. Propterea dicit *μάθοις* simpliciter, indicans, hoc non sua tantum cogitatione contineri, sed omnino existimandum esse. Sed ex his jam intelligi potest, quomodo hoc loquendi genus interpretandum esse

---

6) Il. V, 302. 7) Mosch. Id. I, 6.

existimemus, neque est, quod plura exempla, quae grammatici [8]) satis multa congesserunt, afferamus. Quodsi vero sententiam, quae inest in his, recte constituimus, non intelligitur, cur totum hoc genus spernendum esse et removendum a scriptoribus prosae orationis censeant viri docti [9]). Hoc enim constat, aliam eo significari sententiam, quam illo, in quo optat. particulam ἄν adjunctam habet. Nam parum accurate scripsissent Graeci, si varia orationis forma eadem extulissent. Tum vero, si staret illorum virorum sententia, existimandum esset, Graecos, sicubi optativo uti vellent, necessario ad partes vocare debuisse particulam illam, ut arctissimam ejus comitem. Sed hoc concedetur, verbi modos solos per se et certam quandam habere potestatem, et ad ea, quae cum illa conveniant, significanda accommodari. Jam vero, cum ea, de qua agitur, loquendi consuetudo apud multos scriptores eosque antiquissimos reperiatur, non prava judicanda est, neque ab Atticis, ubi satis idonea auctoritate nititur, removenda, praesertim si probari quoque possit, quomodo factum sit, ut plerumque particula ἄν accederet ad optativum. Est autem hoc explicandum eadem ratione, qua conjunctionem εἰ, conjunctivo additam, cum particula ἄν coaluisse diximus. Etenim, cum optativo contineantur, quae animo finguntur, facilius etiam fieri potuit, ut Graeci, qui omnia oratione explicanda ad suae rationis judicium revocarent, cogitata potissimum, non qualia ea universe, sed sua maxime essent, significarent. Sed ut in hac ratione summa Graecorum urbanitas et singularis loquendi modestia conspicitur, ita plenior ista priscae aetatis copia et ubertas periit. Nam ea quoque, quae firmissime asseverari et possunt et debent, hoc genere significabant, ita quidem, ut, quae vera sententia esset, intelligentes non fugeret. Jam vero, quae sit vis hujus generis ex locis Homericis intelligitur:

ὥς οἱ μὲν μάρναντο δέμας πυρός· οὐδέ κε φαίης [1])
οὔτε ποτ᾽ ἠέλιον σόον ἔμμεναι οὔτε σελήνην.

Horum est haec sententia: me quidem judice, etsi velles, non diceres. Modestius negatur, cum non omnino, sed quantum auctor intelligat, in cogitationem non incidere, dicatur. Adde:

Ῥεῖα δέ κ᾽ ἀκμῆτες κεκμηότας ἄνδρας ἀϋτῇ
ὤσαιμεν προτὶ ἄστυ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων [2]).

---

8) Poppo de usu particulae ἄν in Miscell. critt. Friedem. vol. I. p. 32. cf. Matth. 980.
9) Poppo l. l. p. 33.
1) Il. XVII, 366.
2) Il. XIV, 44. cf. Exempl. Matth. p. 977 seqq.

Dicit Patroclus, se maxime hoc ita existimare; num alii idem sentirent, dicere ut non licebat, ita nihil attinebat. Petit enim ab Achille, ut sibi in pugnam progredi liceat. Propterea, quam ipse animo conceptam habeat spem, dicendum est. Sed sufficit monstrasse, quae sit propria sententiae ita declaratae ratio; ceterum hoc dicendi genere ita delectabantur Graeci, ut in eo particula ἄν maxime locum habeat. Quod quomodo fieri potuerit, supra dictum est. Idem discrimen, quod modo explicare studuimus, intercedere inter interrogationes, aut solo optativo, aut adjuncta particula, declaratas, vix est, quod moneam.

Sed aliud dicendi genus restat explicandum, in quo conjunctioni εἰ, ex qua pendet optativus, particula ἄν additur. Jam vero conditionem non solum omnino posse poni, sed ipsius quoque loquentis opinione adstringi, supra monstravimus. Concedi quidem debet, conditiomem, si quis optativo declarat, posse intelligi eam, quae ab ipsius cogitatione profecta sit. Sed vel sic fieri potest, ut, quae quidem Graecorum esset cogitandi ratio, hoc ipsum accuratius indicetur. Atque hoc factum esse, et ex Homericis carminibus et aliorum scriptorum libris intelligitur.

εἰ τούτω κε λάβοιμεν, ἐελποίμην κὲν Ἀχαιοὺς [3])
αὐτονυχὶ νηῶν ἐπιβησέμεν ὠκειάων.

Hectoris sunt verba, qui hoc tantum animo fingebat, fore, ut, si pretiosissima Nestoris et Diomedis arma abstulisset, Graeci fugam capesserent. Hanc conditionem ad unius Hectoris cogitationem referendam esse, totus locus docet; quare additur κέ. Addamus locum Xenophontis [4]): τοὺς δ' ἀπαιδεύτους παντάπασιν ἀρετῆς θαυμάζοιμ' ἄν, ἔφη (Κῦρος), ὦ Χρυσάντα, εἴ τι πλέον ἂν ὠφελήσειε λόγος καλῶς ῥηθεὶς εἰς ἀνδραγαθίαν, ἢ τοὺς ἀπαιδεύτους μουσικῆς ᾆσμα καλῶς ᾀσθὲν εἰς μουσικήν. Atque hoc loco intelligitur, quod diximus, significari eam conditionem, quae unius loquentis animo obversatur; quod quidem jam apparet ex illis verbis θαυμάζοιμ' ἄν. Quare putare non possumus, particulam conjunctioni εἰ additam redundare; recte hoc ex nostro sensu, qui subjectivam istam loquendi rationem difficile tantum assequamur. Jam vero multa dicenda restant de optativo; sed ne fines hujus libelli egrediamur, pauca de imperativo, de infinitivo et participio addamus.

---

3) Il. VIII, 196. Exempl. Matth. p. 1019. Poppo l. l. p. 46. Thiersch Gr. p. 506. Quae hic disputat, plane sunt contraria; sed tota ejus de ἄν sententia nulla idonea ratione nititur.
4) Cyrop. III, 3, 24. fin.

Imperativus, cum sit is verbi modus, quo declaramus, quid fieri velimus, non plane abhorret a significatione particulae ἄν. Quod enim fieri volumus, id alios facere, ita jubere possumus, si velint. Exsisteret igitur mitior jubendi ratio. Quam cum Graeci aliis dicendi formis significarent, factum est, ut imperativo ita tantum uterentur, si, quod simpliciter juberent, indicare vellent. Neque ullum locum reperi, in quo hanc particulam cum hoc verbi modo esse conjunctam, affirmari possit.

Jungitur autem ἄν cum infinitivo et participio. Quae cum ita sint comparata, ut semper aliunde pendeant, primum id, quod iis continetur, simpliciter pronuntiari potest, tum vero etiam ita, ut, si sententiae ratio admittit, ad conditionem, qua quis illud esse existimet, revocetur. Constat satis, Latinos quoque his verbi partibus ad conditionem exprimendam uti; sed ut hi orationis forma non significant, quae sit conditio universe declarata, et quae ad propriam loquentis opinionem revocata, ita Graeci accurate discernunt. Illud quidem notissimum est, ut non opus sit exemplis probare. Sed afferamus locum, quo utrumque illustrari possit: *τοὺς οὖν μηδετέροις πιστῶς κεχρημένους, οὐδ' ἂν ὑμῖν βεβαίους ἡγοῦμαι γενέσθαι συμμάχους* [4]). Apparet sententiam hanc esse: si fidem non servarunt — et vobis, me quidem judice, non erunt fideles socii. Itaque in participio inest conditionis vis, sed ἄν addi nullo modo potest, quia quod addito articul. apparet omnino tantum ponitur; infinitivo, qui quae oratoris sit sententia, significat, additur. Hoc ut accuratius intelligatur, locum', qui antecedit, addamus: *οἴομαι μὲν οὖν οὐδὲ βοηθήσειν αὐτὴν* (*Ἀρτεμισίαν*). Intelligitur, credo, eandem fere esse utriusque loci externam rationem. In hoc autem ἄν particula omissa est, quia orator id, quod Athenienses metuebant, ut vanum refellere studet; propterea simpliciter dicendum erat: Artemisiam, Persarum regi auxilium laturam esse, equidem non puto. Aliud exemplum, in quo utrumque reperitur est hoc: *δοκῶ δ' ἄν μοι καλῶς δικάσαι, πάσαις ἀποδοὺς τὸ μῆλον* [5]). Conditio quae in participio latet, simpliciter ponitur; *δικάσαι ἄν* ad Paridis opinionem refertur.

---

4) Demosth. de Rhod. libert. p. 194. cf. p. 195. fine. 196.

5) Lucian. Dialog. Deor. XX, 13. Exempla apud Matth. Gr. p. 1196 seqq.